
OCTAVII BANDINII

ORATIO

In obitum Sereniſsimi COSMI MEDICIS Magni Etruriæ Ducis

Habita Romæ in AEde diui Ioannis Baptiſtæ XIII. Kal. Iulii. CIƆ IƆ LXXIV.




FLORENTIÆ
Ex Officina Iuntarum.
CIƆ IƆ LXXIV.



IACOBVS IVNTA LAVrentio Strozzæ Karoli F.

S. P. D.





AVCIS *ab hinc diebus, humanißime Laurenti, deuenit ad manus meas Oratio Romæ habita ab affine tuo Octauio Bandinio, in funere* COSMI *Medicis Magni Etruriæ Ducis, quam cum amicis quibusdam meis sane doctis, usque optimis viris ostendissem, vt eius lectione, quæ ipsos mirum in modum delectauit, fruerentur, re illi inter se deliberata, omnes vno ore me recte factu rum dixerunt, si nostris illam typis quam primum excudendam curarem: hac enim ratione multorum desiderio satisfactum iri videbant, qui huius orationis legendæ cupiditate flagrabant, propterea quod illam ab omnibus plane probari, immo vero summis laudibus in cælum ferri intelligebant. horum igitur consilium secutus, eam in studiosorum omnium gratia diuulgaui. Quod, cum auctore fortaßis inuito, aut certe insciente a me factum esse animaduerterem, te mihi defensorem parari, qui, cum maxima tuæ gentis nobilitate floreas, aliisque tum fortunæ, tum corporis, atque animi bonis abundes, & optimi huius adolescentis sororem habeas in matrimonio, apud illum auctoritate, & gratia plurimum vales, itaque illi me publicæ voluptatis atque vtilitatis ratione poteris* excusare. *Hoc vero, quæ tua, illiusque est humanitas,*

A 2 *facile*

facile facies. Nec enim adduci possum, vt credam, Octauium tuum huiusmodi Orationem supprimere voluisse, sed singulari potius modestia, & pudore ingenuo impeditum, prælo hactenus non commisisse arbitror, vt fere semper solet optima quæque ingenia comitari timiditas & cunctatio. Sed quid ego hæc ad te, qui eius verecundiam, ac bonos ipsius mores præclare nouisti. Nam de eruditione nihil dicam, cum adolescens adhuc tale specimen ingenij sui dederit, vt nihil non ab eo expectari posse videatur. Vale. Florentia. XIIII. Kal. Augusti CIↃ IↃ LXXIIII.



Oratio in obitum Sereniſsimi COSMI *MEDICES Magni Hetruriæ Ducis.*





AXIME vereor, Patres Ampliſſimi, nedum COSMI Medices Magni Hetruriæ Ducis obitum, publica funebríque pompa ſummo cum animi dolore, atque acerba recordatione deploramus, in quo grati, & ſtudioſi videri cupimus, inuidi potius, atque eius laudis, & gloriæ parum amantes videamur. Nam quid morte optabilius ei eſſe poterat, qui cum per quadraginta ferè annos florẽtiſsimam Hetruriæ Prouinciã ſibi ſubiectã æquitate potius, & concordia, quàm belli, armorúmque vi ſaluam, & incolumem conſeruaſſet; eamque poſtea prouectæ iam ætatis filio FRANCISCO eximiæ virtutis, & prudentiæ viro, ac ſibi penè alteri dediſſet adminiſtrãdam, ad eum iam dignitatis gradum perueniſſet, qui non ſine ſummo labore, & corporis animique cõtentione cõparatur, ea iam eſſet ætate, in qua moleſta & iniucunda vita; dulcis, & optabilis mors videri ſolet. Quid, inquam, morte huic optabilius accidere poterat, qua & vitæ, & gloriæ immortalitatem conſequeretur? Quod ſi hæc alicui veſtrum. A. forte cadit in mentem, animúmque ſuſpicio, is, ſi libuerit, ex ipſo orationis curſu colligere poterit, lætitiæ ne tanti viri mors, an luctus, & mœroris occaſionem attulerit. Quis enim, obſecro, Chriſtianæ Relligionis propugnatore, pacis, & concordiæ authore, æquitatis, & iuſtitiæ cuſtode, ac defenſore noſtrum omnium propè parente extincto, in tanto omnium ſqualore, & luctu non mœreat, non doleat, nõ fletu illum, non lacrymis, non aliqua grati animi ſignificatione proſequatur? Quod ſi admirabilẽ in adminiſtrando prudentiam,

in agendo industriam per manus in hac Medicea gente quasi traditam filio suo hæreditario propè iure non reliquisset, auderem profectò dicere, plus nunc ex illius iactura nos capere detrimenti, quàm per tot annos ex singulari illius vigilantia, cura, & administratione ceperimus vtilitatis. Verùm quoniam funebrem hanc exequiarum pompam cum Florentinorum in eum obseruantia, tum verò maxime eius singularia merita flagitabant, mihi, cui ne cogitanti quidem, quamuis non satis idoneo hoc dicendi munus demandatum est, magnopere laborandum fuit, non tam vt orationis meæ materiam inuenirem, quàm vt eam in eius laudibus recensendis rationem instituerem, quæ, & rei magnitudini, & temporis angustiis consentanea videretur. Itaque vt ipse, de quo dicturus sum, nostrûm in se omnium præclaram voluntatem cognoscat, vósque omnes, qui huic funeri adestis, eximii Principis singulares virtutes, egregiáq; facinora penitus percipiatis, ea in tanta rerum multidtudine breuiter colligam, quæ si non propter nouitatem inaudita, ob singularem quidem certè præstantiam laude, & admiratione digna cuique videbuntur. Quamquam tam multa in hoc latissimo dicendi campo præclara omnia, ac propè diuina dicenti occurrunt, vt magnopere verendum sit, ne rerum gestarum gloria, & splendore quibusdam quasi Solis radiis tenuissima ingenii mei acies perstricta, & tantæ rei, & vestræ expectationi parem orationem afferre non posit. Ac de Medicea quidem familia quid est, quod quisquam hoc tempore, aut illa dignum, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum afferre se posse confidat? cuius splendor, & dignitas infinitis nobilissimorum scriptorum litteris celebrata vigebit memoria sæculorum omnium. Qui hostes, aut priuati Reipub. Florentinæ, aut publici totius Christiani Imperii, horum arma, virtutem, vim, ac potentiam non exhorruerunt? Quæ vnquam ætas de Cosmi, Petri, Laurentii, de trium Ecclesiæ luminum Leonis Decimi, Clementis Septimi, & Pii Quarti laudibus, & rebus præclarè gestis conticescet? in illis quidem prudentia cum vitæ integritate, in his morum, vitæque integritas

tegritas cum prudentia coniuncta laudatur: In illis cum moderatione celeritas; in his cum celeritate moderatio commẽdatur. In illis rei militaris scientiam cum Relligionis, & pietatis studio, in his Relligionis & tuendæ & amplificãdæ studium cum aliqua etiam rerum bellicarũ peritia suspiciunt, & admirantur omnes. Quid de cæteris Principibus dicam? qui ex hac familia tanquàm ex Equo Troiano exierunt? non potuit sese Mediceæ familiæ virtus intra Italiæ fines continere; sed ad FRANCORVM Regnum vsque non tam humano quàm Diuino (vt ego quidem arbitror) consilio, & voluntate penetrauit; quas vnquàm in illa Prouincia infestissimi nostræ Religionis hostes insidias compararunt, quas non diuinus ille adolescens Carolus nobis superioribus diebus immatura morte præreptus, Catherinæ Medices optimę, sanctissimæque Matris adiutus consiliis effugerit? Quæ illi in Dei Ecclesiam venenata tela coniecerunt, quæ non hi singulari prudentia, & virtute retuderint? quas ad illius Regni perniciem accensas faces, quæ ad totius Christianæ Rei publicæ detrimentum excitata incendia incredibili cum celeritate summo Relligionis defendendæ studio, & ardore nõ extinxere? Nunc autem prudentissima illa fœmina cum optimo Galliam parente, & carissimo se filio orbatam videat, non modo in toleranda filii morte constantiam, sed in Regni gubernaculis suscipiendis singularem prudentiam declarat: dum hostium debilitatis, fractisque viribus, Henrico filio tutum, tranquillumque Regnum conseruat; quem ad discutiendas cæcas errorum nubes, ad extirpandas falsas de rebus Diuinis opiniones, errantes in viam reducendos, armis denique vniuersam Galliam liberandam Diuino nobis in tãtis calamitatibus consilio datum, finem tanto, ac tam diuturno bello non sine summa Christianæ Reip. salute impositurum speramus. Hinc, & Ioannes Medices, huius ipsius, de quo loquimur, Cosmi Parens originem duxit, quem non modo cum priscis illis tantæ virtutis, & prudentiæ Ducibus comparãdum, sed longe etiam præstantiorem putem, quod illi viui dumtaxat; hic verò vel mortuus de hostibus victor

glorio-

gloriosissime triumpharit. Tanta enim in eo erat humanitas, tanta in omnes liberalitas, vt quos non armorum, tubarumque strepitus, non dedecus, non ignominia, non patriæ ac parentum amor, & charitas commoueret, ipsa, proh Deus immortalis, IOANNIS MEDICIS Patris Militum (sic enim appellabatur) ipsa, inquam, sola viri recordatio ad arma, ad pugnam, ad victoriæ, triumphíque laudem consequendam incitaret. Quod cum hæc præclara; & post hominum memoriam admirabilia sint, certè nihil illi gloriosius, nihil ad hominum famam, & posterorum commendationẽ illustrius accidere potuit, quàm quod Maria Saluiata grauissima, & nobilissima fœmina vxore ducta COSMVM genuit, & educauit filium, qui paternas non modo adæquarit virtutes, sed nobilitatem ipse suam rerum gestarum gloriā nobilitarit. Erigite, obsecro, animos. A. atque infinitis propè tum pueritiæ, tum adolescentiæ laudibus prudenter omissis, ad ea, quæ fortunæ tribuuntur, bona, ad ingentem, ac penè incredibilem fœlicitatem summa cum virtute coniunctam mentem cogitationémque conuertite. Nam si hæc aliquid ad hominis laudem valere putātur, quis in Italia post homines natos COSMO Duce, aut fortunatior, aut ditior, aut rebus omnibus florentior vnquam fuit? qui ei Vrbi, atque Italiæ parti præfuit, quæ, & Regionis situ, cœli temperie, accolarum natura, frugum vbertate, negociorum multitudine, rerum gestarum gloria nulli sit inferior; multis autem vel nobilissimis Prouinciis longe superior; Cum enim esset adhuc summæ spei; & virtutis adolescẽs à Senatu Florentino summa omnium consensione communi omnium ætatum, atque ordinum lætitia Reipublicæ caput, & Dux renunciatur. O lætam, nobisque omnibus iucundam, & fœlicem diem, & posteritati perpetuò celebrandam. Non poterat diuina hæc & immortalis virtus diutius latere, atque abdita iacere in tenebris, sed ipsa se se suo splendore prodidit, & in omnium conspectu, atque orbis terræ theatro posita in omnes, vel remotissimos angulos lucis suæ radios, fulgoremque transmisit. Etenim incredibile est quā

ta cum prudentia, & consilio in hoc dignitatis gradu constitutus, excitatas armis seditiones, ac tumultus comprimere, optimisque legibus, ac salutaribus decretis debiles adhuc, & infirmas renascentis Reipublicæ vires confirmare cœperit. Intelligebat enim summo vir ingenio optimè constitutas ciuitates non tam armorum quàm legum præsidio instructas esse oportere. Quam à primis pueritiæ annis, sui apud omnes expectationem concitauerat, & quam gerebat personam sustinendam sibi esse existimabat. Nihil agebat, nihil vir ille cogitabat, quod non vtile, ac salutare ciuitati, non gratum, non iucundum, non perhonorificum esse iudicaret. Nam et Pisarum nobilissimam Vrbem, quæ Ciuium incuria pristinum suum splendorem penitus amiserat, frequentissimis ædificiis ornauit, agroque purgato, paludibus exiccatis, doctissimos in ea homines alendo, nobilissimorum adolescentium frequentia, & peregrinorum, qui eò vndique confluunt, multitudine saluberrimam, & celeberrimam reddidit. Aretium, & fortissimis propugnaculis muniuit, & validissimis sepsit præsidiis. Pistoriensium ciuitatem intestino bello, ac ciuilibus discordiis laborãtem, breui magna omnium cum admiratione, & armis, & armorum formidine liberauit. Et ne quod posset excogitari laudis genus, quod ei fortuna denegasset, vrbem condidit, quæ COSMI nomen referens eum in posterorum obliuionem venire ob eius singulares virtutes, atque animi dotes non pateretur. Sed quàm est eis, qui cæteris præsunt, aut seueritatis, ac fortitudinis inuidia, aut inertiæ, ac nequitiæ suspicio pertimescenda? Inuidiam tamen ille virtute partam gloriam, non inuidiam putabat. Vix enim sexto Principatus sui mense complures Florentini Ciues, vt in Ciuitatibus Ciuium frequentia, & nobilitate illustribus accidere solet, militum collecta manu bellum Patriæ Parenti indicunt. Non tulit fortissimus Adolescens in tanto salutis discrimine diutius versari rempublicam, vi ad arma compulsus, Cæsaris implorato auxilio, fugatis ad Montem Murlium, interemptisque hostibus, armis Remp. metu Ciuitatem, vniuersam denique Prouinciam bello conflagrã-

 tem,

tem, vastatione, & incendio liberat, incredibilem apud omnes beneuolentiam, immortalem apud posteros sui nominis gloriam consecutus. Sedatis demum pacatisque rebus se se ad ciuitatem in pace atque ocio administrandam ita contulit, vt in se omnium non modò Ciuium, sed exterorum etiam mentes animosq; conuerteret, & fœlicem Florẽtinam Remp. communi omnes consensu, ac fortunatam prædicarent, quam Deus Opt. Max. tantæ virtutis, integritatis, consilii, & prudentiæ viro gubernandam tradidisset. Et quoniam Magistratus Ciuitatis, & honores tum ad Reip. salutem necessarios, tum prẹmia, & ornamenta virtutum esse intelligebat, veteres non modò non sustulit, sed nouos etiam instituit, vt Ciues ad labores pro Rep. fortiter subeundos, hac proposita præmii spe, quasi quibusdam laudis, & honoris stimulis incitarentur. Quanta semper in hac Ciuitate Iudiciorum fuerit cum seueritate integritas, cum integritate seueritas; huius ego rei tot habeo testes, quot hic adestis Florentini ciues; à quibus inter cẹteras prẹstantissimas huius viri virtutes, moderatam iudiciorum rationem, diuinarum, humanarumque legum obseruãtiam prædicari sẹpe, & commẽdari amplissimis verbis audiui. Vxorem, cum esset adhuc adolescens, duxit ELEONORAM Petri Toletani Principis in Hispania viri filiam, cuius laudes cum copiosius ab aliis enumeratas audiueritis, recensere in prẹsentia superuacaneum esse iudicaui. Illud certè tacitus prẹterire non possum, sed magna voce proferre, vel inuitus cogor. Fuit hẹc FRANCISCI, IOANNIS, GARZIAE, FERDINANDI, PETRI, hẹc inquam, ISABELLAE, & LVCRETIAE, Parens fuit, hẹc tantos tantẹ virtutis filios procreauit, & aluit. In his, si placet, quandoquidem viua virtutis imago erepta est mortalibus, parentum, vt paucis multa complectar, virtutes non leuiter adumbratas sed ad viuum mirabiliter expressas recognoscite, hos intuemini, horum vitam & mores diligenter obseruate. Parentum in filiis, filiorum in parentibus similitudinẽ incredibilem, admirabilem, singularem, in vtrisque virtutem inuenietis; quàm multa de IOANNE, ac FERDINANDO,

NANDO Mediceis Amplisimis Cardinalibus diceda essent, in quibus tanta fuit ingeniorum similitudo, vt cum illius singularis vitę morumque integritas, admirabilis in rerum administratione prudentia, consilium, ac propè diuina virtus in mentem veniunt, quos ei comparare posim, paucos inueniam. Cùm hunc verò, cuius pręsentię luce interdum recreamur, intueor, non fratrem modò (quod fieri vix posse mihi persuadebam) sed semetipsum mihi superasse aliquã do videtur. Sed quid ego pluribus apud vos Patres amplissimi huius laudes recensere contendo, cuius in maximis, grauissimisque rebus consilium, & industriam cum singulari quadam comitate coniunctam sępe experti estis, & in dies magis experimini? Quare vt ad COSMVM, vnde digressa est, mea reuertatur oratio, quæ, & quot in hoc vno sunt, quę illum non modo suis gratisimum, sed exteris etiam amabilem reddiderunt; quot continentię, mansuetudinis, & beneuolentię extant exempla, qua non modo suos intra ęquitatis, legúmque limites continuit, sed inter finitimos, & exteros ortas seditiones sedare, & in pristinum pacis, ac tranquillitatis statum restituere conatus est. Neminem vestrum ignorare arbitror. A. quid à CAROLO Quinto ad bellum Rei pub. Senensi inferendum prouocatus responderit, Malo (inquit) Senensium meis officiis, & beneuolentia auctam in diuturna pace, atq; ocio sociam mihi, & amicam Ciuitatem stare, quàm meis armis, ac viribus labefactatã corruere. Pertimescebat enim vir ille prudẽtisimus, ne pręclara anteactę vitę facinora, perpetua apud posteros suscepti belli inuidia ob ruerentur: quin ita amplisimã illam, atque ornatisimã vrbẽ perpetuo dilexit, vt nunquã atrocisimi illius belli, nunquã armorum, tubarumq; strepitus, nunquã memorabilis illius pugnę veniret in mentẽ, nunquã semiruta mœnia, humi prostrata ędificia inspiceret, quin acerbisimum eius animo doloris vulnus iam multo antea inflictum recrudesceret. Sed cum intestinis Florentisima illa Resp. laboraret discordiis, cresceréique in dies magis armorum multitudo, eóque iam ventum esset, vt à Cæsare, cuius olim se se in fidem dederat,

 deficere,

deficere, & suo iure omnia vellet administrare: cũ(inquam) in tanto armorum strepitu tanquam ex aliqua specula COSMVS magna, quæ Florentinæ Reip. imminebant pericula, animo præuideret, & à Cæsare, à quo ob singularem, & sæpe in rebus gerendis expertam prudentiam, & virtutem mirificè diligebatur, vt hoc commune bellum susciperet, sæpius rogaretur, suas esse demum partes tot, ac tantis iustissimis de causis arbitratus est, tantam in se belli molem conuertere, & exterorum metu, ac formidine Remp. & vniuersam Hetruriæ prouinciam liberare. Quodquidem bellum tanta cum prudentia administrauit, vt non minus se hostibus, quam suis amabilem, nec suis minus, quam hostibus formidabilem reddiderit, & ad eum tandem exitum perduxerit, quem optabant, & sperabant omnes. In quo incredibilem Cæsaris liberalitatem, gratique animi significationem non admirari non possum; qui confecto iam bello tanta hominis virtute permotus, cuius labore, & sumptibus optata erat pax ciuitati reddita, eiusdem etiam prudentia, & consilio voluit diutissimè conseruari. Accepta itaque COSMVS vrbis primùm, tum arcium, & præsidiorum in agro Senensi administratione, non modo in pristinam dignitatem restituit mœnia, ædificia, sacrásque ædes belli calamitate prostratas reficiendo, sed ita ornauit, & auxit, sanctis, ac salutaribus decretis confirmauit, vt ex illo die, quo die in eius potestatem venit, vsque ad hæc nostra tempora in diuturna pace, atque ocio conquieuerit. Longum esset, singulas eius laudes, & facta persequi, quare iis, quæ in reliquo vitæ cursu præclarè gessit, prætermissis, ad ea, quæ recentiora sunt, properabo, omnia laudabiliter, omnia fortiter, omnia sapienter fecit, ita vt omnia singularia cum sint, nihil in eo inuenias singulare. Affinitas certe, qua FRANCISCVM filium cum Austriis, atque ipso Imperatore Augusto deuinxit, quã tam dicendi facultatem suppeditaret? Equidem statuere haud possum, plus ne familiæ splendor, ac dignitas ornamẽti, an præstantissima IOANNAE Austriæ virtus, animique probitas vtilitatis vniuersæ Ciuitati attulerit, in qua nõ Impe-

peratoriam ſtirpem, nonnaturæ bona, & fortunæ abundantiam, quæ cum vel maxima in ea ſint, magnam tamen ſibi eius laudis partem Fortuna vendicat, ſed in ſubleuandis pauperum calamitatibus liberalitatem, & beneuolentiam, ſummam in colendo Deo pietatem, in omni vita integritatem, in illa ſexus imbecillitate, non dum ſua maturitate perfecta ætate, & ſuſpiciunt omnes, atque ingenti prædicatione extollunt. Faueat cœptis Deus Opt. Max. faueat, inquam, & Mediceæ Auſtriæque familiæ patrocinio tectam Ciuitatem omni rerum genere Florentiſsimam, nobiſque diutiſsimè (vt ſperamus) ſeruet incolumem. Ad pietatis nunc cultum, ac Religionis amorem venio, qui tantus in Cosmo fuit, vt ampliſsima ſit dignitatis, vel ob hanc vnam cauſam, præmia conſequutus. Quorſum enim obſecro fortiſsimorum Equitum ſodalitatem ab eo inſtitutam arbitramur? Vos, vos appello, qui illius nobiliſsimæ Crucis inſignibus decorati, in eam eſtis militiam aſcripti, quid diſtrictus ille dextra gladius agit? cuius latus ille mucro petit? Quid à vobis Crux veſtrę familiæ inſigne efflagitat? Quid Equitis nomen, & cætera equitum ornamenta requirunt? Non dubito quid reſponſuri ſitis. perfidorum hoſtium iniurias à Dei Eccleſia, ſacrilegas à ſacris Virginibus impiorum manus, à tectis templiſque cędes, & incendia, ferrum à Chriſtianorum iugulis, iugum denique a ceruicibus omnium vi, ferro, ſanguine denique, ac vita propulſare debemus. Huc ſuas ille curas, cogitationes, & conſilia dirigebat, eamque ob rem cum nouas ſocietates inſtituere nō niſi Regibus liceret, hanc ipſe facultatem à Pio IIII. Pont. Max. ob ſingularem, & multis in Eccleſiæ periculis ſpectatam virtutem obtinuit. Quid? quod nullum vnquam contra Chriſtiani nominis hoſtes non dicam geſtum, ſed nec ſuſceptum eſt bellum, in quo ille non aut copiis, aut ſtipendiis, aut armatis, inſtructiſque triremibus, aut denique fortiſsimis huius ordinis Equitibus Dei Eccleſiam iuuerit. Sed quid ego pluribus hęc teſtimoniis, & exemplis probare contendo, quæ innocentiſsimi viri ſunt, & Sanctiſſimi Pontificis teſtimonio comprobata? quam enim obſecro

ob

ob causam amplissimis post hominum memoriam honoribus à Pio Quinto Pont. Max. ornatum fuisse putatis, nisi ob pietatis studium, Religionis amorem, & charitatem? Videbat enim summus ille vir, & gregis sibi commissi diligens Pastor Ecclesiæ nauim ventorum procellarumque tempestati expositam, hostium armis vndique circumuētam, huc, atque illuc humano denudatam prę sidio temerè agitari. Nouerat huius ad opem in Ecclesiæ calamitatibus ferendam animi propensionem. Acceperat à Cęsare olim hac ipsa de causa illum in equestrem aurei velleris ordinem adscriptum esse, suas esse partes Sanctissimus Senex arbitratus est, pietatis studiosis fauere, bonos, & bene de Christiana Rep. meritos debitis præmiis, & honoribus ornare, vt cęteros proposita prę mii spe ad eiusdem laudis ęmulationem alliceret. Tantus in eo erat, non tuendę modo, sed amplificandę etiam Religionis amor, & studium: Sed facere non possum, quin intimo animi sensu commotus hoc loco exclamem, O miseram humanę vitę conditionem, quem ante quatuor annos tanta cum pompa Vrbem Romam ingressum, tanto bonorum omnium plausu, & lętitia, vniuerso spectante populo, Regio sceptro, & corona ornari vidimus, huic hodierna die iam mortuo tāto cum squallore, ac luctu iusta persoluimus. O spes fallaces, ò inanes cogitationes, sic fluunt, occidunt, & labuntur omnia. Vt enim Florentiam rediit, graui, ac diuturno morbo oppressus, cum per biennium acerbissimum in corpore dolorem, magna animi virtute, & constantia tolerasset, XI. demum Kal. Maii, LV. ętatis suę anno, ex hac mortali, fragilique vita decessit. Extincta est, (magno equidem hęc cum dolore dico, quę mihi tamen necessario dicenda sunt) extincta, inquam, admirabilis illa in priuatis rebus moderatio, splendor in publicis, in bellicis fortitudo, in Vrbanis prudentia, in suscipiendis consilium, in exequendis industria, in subleuandis, ornandisque ciuibus caritas, & munificentia, in puniendis, castigandisque lenitas, in duris, aduersisque rebus patientia, in prosperis, & secundis ęquabilitas, summum in omni vita Relligionis, pietatisque studium,

firmissi-

firmiſsimum illud bonorum prȩſidium, ſanctarum lator legum, pacis, & concordiȩ cuſtos, Iuſtitiȩ, & æquitatis patronus, hȩc, inquam, omnia vna eripuit hora. Vellem equidem aliquod dolori noſtro leuamen Ciues afferre, ſed cum veſtras lachrymas tantum bonorum omnium mœrorem, ac luctum, ipſa denique mœnia tanto ſquallore obſita circumſpicio, acerba tanti viri recordatio veterem animi curam, & moleſtiam mihi vel inuitiſsimo renouat, ita vt niſi ad ſempiternam illam, quam (vt auguratur animus) poſt mortem aſſequutus eſt beatitudinem, & ad eam lucem, quæ in tanta rerum caligine Reip. Florentinæ tanta omnium cum admiratione coruſcare cœpit, FRANCISCVM, inquam, filium, animum, cogitationemque conuertam, nullum alibi in tantis calamitatibus ſolatium, nullum in tanto omnium dolore conſolationis genus inueniam. Te enim COSME appello, qui corporis his compagibus ſolutus ex hac caduca mortalique vita ad beatiſsimum illud Beatorum domicilium Diuino conſilio ereptus euolaſti. Quibus, obſecro, bonis, quibus ornatus honoribus promiſſam piis omnibus poſsides hæreditatem? quæ, & quanta virtutis es præmia conſecutus? magna (vt opinor) immortalia, diuina, ſempiterna. Tuorum in te Ciuium animos, & perpetuam tuorum beneficiorum memoriam, dum luctu te, & lamentationibus proſequuntur, agnoſce: quam eis in terris beneuolentiam, ac paternā curam, tot, ac tantis teſtimoniis declaraſti, eandem nunc in Cœlo Diuinȩ Charitatis ardore auctam perpetuo conſerua. Annuit, vt mihi videtur, annuit; Ciues, è Cœlo COSMVS proſpera nobis omnia, & ſecunda, eandem, ſi eadem in nobis erit grata, & pia voluntas, in filio erga nos beneuolentiam, eadem, ſi in eiuſdem virtutis inſiſtamus via, præmia, eademque bona pollicetur. Reſtat igitur nunc, vt quoniam eius virtute, & prudentia factum eſt, vt FRANCISCO filio non modo Imperii, ſed virtutis, & gloriæ hæreditatem, quàm maximè firmam, ſtabilem, certámque reliquerit; hoc læto potius, hilarique vultu, prout humana imbecillitas feret, quam mœrore, & luctu, comprobemus. Quid

enim illius fortasse in hominibus ad se admittendis comitatem desideratis? benignitate hic ipsa est, & humanitate humanior. In cognoscendis, constituendísque rebus prudentiam requiritis? Quis hoc vno prudentior, qui ad imperandum natus, & diuinitus nobis datus, turbulentos animi motus se dare prius quam iis afficeretur, didicit; cuius adolescentia ad Remp. gerendam, non externæ, sed domesticæ virtutis exemplo, non alienis præceptis, sed suis imperiis, non bello, non armis, sed optata, & diuturna pace traducta est. Morum vitæque integritatem optatis? singularem in eo esse dicerem, si in iis, qui ceteris præsunt, non necessaria potius, quàm laudabilis videretur. Pietatem demum in colẽdo Deo, defendendæ Religionis studium expectatis? Intelligent hoc Romani Pontifices, si quando, Christiana (quod Deus omẽ auertat) in discrimen adducta Republica, huius opem, & auxilium implorabunt. Sentient hoc quicunque ad inferendũ nobis bellum arma capient, quis eius sit erga Romanam hãc Sedem animus, quæ mens, quæ voluntas, quis armorum sensus, nõ sine suo magno malo cognoscẽt. Nostræ demùm partes, Ciues, sunt, vt longam ei, diuturnámque vitam, fœlicẽ Imperii administrationem, tutam, tranquillámque pacem, prospera denique omnia, & secunda à Deo immortali maximis, diuturnisq; precibus contendamus.

Dixi.

